



# **Conciones, Siue Conceptvs Theologici Ac Praedicabiles, In Omnes Totivs Anni Dominicas**

Opvs Novvm Figvris, Allegoriis, Similibvs Ex Sacris profanisq[ue]  
Scriptoribus plenißimum, cum occurrentium fidei controuersiarum  
tractatione.

**Besse, Pierre de**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

Dominica Sexta Post Pascha.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56314)

ge, & nos ad eandem sanctè pieque fundendas dispone: scpe, fateor, plenè imperfecti-  
nibus sunt, nec exaudiuntur, eo quod non  
bene fusa, scpe enim cum superbia & animi  
elatione tibi eas offerimus, scpe in peccati  
statu funduntur, scpe minima data occasio-  
ne interrumpuntur. Humilitatem igitur ve-  
ram, quæ easdem comitetur, caritatem & di-  
lectionem, quæ easdem succendat, & robur,  
quo in iisdem persistamus, elargire. Quæ si  
impetrauerimus, vota precesque nostræ tibi  
acceptæ futuræ sunt, ac per easdem in hac  
vita gratiam, & in altera gloriam immorta-  
lem consequemur, ad quam deducere nos  
dignetur Deus Pater, & Filius, & Spiritus  
Sanctus. Amen.

DOMINICA SEXTA  
POST PASCHA.

Quæ est Dominica infra octauam  
Ascensionis.

Partes.

1. Quod præscita minus sint noxia.
2. De testimonio S. Spiritus & Apostolorum.
3. De aduersis à Domino prædictis.
4. Cur suos affligi vellet Dominus.

Cum venerit Paracletus, quem ego mittam  
vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Pa-  
tre procedit, ille testimonium perhibebit de  
me. Ioan. 15. & 16.

FIGURA.

**E**LIAS Propheta & sacrificuli Baal, cum  
inter sese de veri Dei cultu, altercaren-  
tur, his Baalim Deo vero præferentibus &  
adoratione dignum asserentibus, illo con-  
tra firmiter asserente, & prægnantibus ra-  
tionibus euincente, solum Deum Israel ad-  
orandum, sacrificijsque placandum; nec vl-  
lum contentio finem haberet, ita tandem  
inter eos conuenit: vt suo vterque Deo sacri-  
ficiu immolaret, & victimas, ac quorum  
Deus primus tunc ignem cælo demississet,

quo sacrificium absumeretur, ille verum ad-  
orare Deum censeretur. Elias igitur è tr. la-  
pidibus, in memoriam 12. tribuum Israel,  
aram construxit, cui cum ligna & taurum  
superimposuisset, quæ & aqua humectabat,  
quo miraculi dignitas foret euidentior; in  
genua procubuit & Deum orare cepit. Et  
ecce ignis subito cælo in aram delapsus ligna  
corripuit, victimam succendit & in cineres  
redegit. Testari ita Deus voluit, Eliæ Deum  
solum adorandum, & omni obsequio & cul-  
tu dignissimum esse, reliquos vero omni ho-  
nore & cultu indignos. Vt autem à figura ad  
veritatem descendam, dico Christum, ma-  
gnum illud & honorificum crucis sacrifici-  
cælo obtulisse, quo Deus iratus homini re-  
conciliatus est: altare, in quo oblatum, ipsa  
fuit crux, ligna, plurima tormentorum ge-  
nera quæ pertulit, ipse vero victima, iniuria  
& impropria, quib. eum Iudæi prætereun-  
tes impetebant, aqua fuit qua conspergeba-  
tur. Et quamuis singula hæc ita se haborent,  
ea tamen hominum pernicacia fuit, in ani-  
mum inducere, vt nulla ratione possent, Ie-  
sum verum Deum existere, quamuis mors  
illius & resurrectio euidentia testimonia de-  
dissent. Eia igitur, inquitum Christum, egre-  
diamur, & ad vltimū diuinitatis meæ experi-  
mentum veniamus: Spiritum S. cælitus de-  
mittam, qui in forma ignea, in sacrificium ip-  
se peragi dilabatur. Atque ita lapides fun-  
damentales Ecclesiæ meæ, Apostolos in quæ,  
corripiat & succendat, ne qua in posterum  
dubitandi sit occasio, sed omnes certissime  
credant, me non secus ac Pater verum Deum  
esse, & vtalem omnes, post tot diuinitatis  
argumenta, potentia, signa, & essentia no-  
tas editas confiteantur. Hæc Euangelio ho-  
dierno cõtineri video, quod vt ad illius glo-  
riam & animæ vestræ salutem exponam, is ip-  
se S. Paracletus in partem operis inuocan-  
dus, & Deipara auxilium implorandum, quæ  
ideo potissimum in genua prolapsi, angelicis  
verbis salutabimus. *Aue Maria.*

Ea semper omnium sapientum opinio fuit,  
nulla alia re, ingruentia aduersitatum iacula,  
& tribulationum mundi huius tela facilius  
excipi posse, inflictaque minus, quam si longè  
ante animo voluantur ac prius quam feri-  
ant,

riant, prouideantur. Quidquid enim aiebant inopinato nihilque minus cogitantibus accidit, percellere nos & consternare solet patientia nimirum clypeo spoliatos, quem si haberemus, facile omnes malorum ictus eluderemus. Is igitur ictus noxius & metuentus, qui prouisus non fuerit, at quæ postquæ præcepta & prouisa fuere, contingunt, angere & lædere minus solent: nec casus eorum adeo grauis, quod nihil noui aut insperati, sed potius aliquid eminus prouisi, nobis accidere videatur.

Primus opinionis huius auctor nominari potest Marc. Tull. Romanæ eloquæ patens & origo, qui in Tusculanis quæstionibus ait, repentina omnia uideri grauiora, quem & in distichis secutus Cato ait:

*Nam leuius laedit, quidquid prouidimus ante, Et prouisa minus lædere tela solent.*

Hæc quidem Gentili deprompta pharetra, prudenter tamen inuenta, Christianoq; homine digna, quin & Gregor. Magnus, Ecclesiæ doctor, iisdem propemodum verbis minus est, & in eundem sentum recidentibus: *Minus iacula feriunt quæ prouidentur, & nos tolerabilius mundi mala suscipimus, se contra hæc prouidentia clypeo munimur.*

In hom. plurim. Mar. 2.

Diogen. Apophth. Interrogatus olim Philosophus Diogenes, quidnam tandem Philosophia illi edocuillet; scitè admodum respondit, dicens: *Prouidere, inquit, aduersa, & cum euenierint illa patienter ferre.* Egregium profecto apophthegma, & quo vix vllum legi elegantius, Christianæ legi accommodatius, & Philosophia Christi Iesu dignius, qui hoc nos & loqui modo & vitam instituere docet, id est, afflictiones dudum ante prouidere, & cum ingrueriat, forti & generoso animo easdem perperi. Vnde & natum prouerbium: *Tela prouisa minus feriunt.*

Basilisci natura. Li. de tran quill. ca. 11. Li. 6. natu quæst. 9. 3. 47. 77.

Eam basilisci naturam esse perhibent, vt, si hominem prius videat, mortem ei afferat; si vero ab homine e contra prius videatur, tantum absiret vt noceat, vt ipse emoriatur potius, aut in fugam saltim se conferat, quod diligenter notans Philosophus Seneca ait: *Nisi quidquid fieri potest, pro futuro habeas, das in te vires rebus aduersis, quas infregit, quis quis prior vidit.* Item alio loco: *Quæ alij diu*

*patiendo leuia faciunt, vir sapiens leuia facit, diu cogitando.*

Inquam rem sexcenta producere exempla possem: vt imprimis illud Anaxagoræ, ræ Philohuic enim carceribus detento Athenis, eodem tempore & mortis inferendæ sententia, & filiorum interitus cum denunciaretur: ad primum quidem infracto & elato animo sic respondit: *tam prouidem tam aduersus illos qui me morti adiudicauerunt, quam aduersum me, ex quo natura tulit sententiam, ad secundum vero ait: Sciebam me genuisse mortales.* Futurorum igitur prouisio & diuturna eorum expectatio hanc ei animi dabat constantiam, & infractum illum & incoccillum reddebat.

Ideo vero veteres illi sapientes prouidere, & quodammodo præoccupare mala futura & instantia solebant, tum ne, quando inopinato ingruerent, eisdem percellerentur, & ad terram concussi deicerentur, tum etiam vt minus graues ictus infligerent. Atque hoc magnum prudentiæ argumentum, quid enim aliud prudens quam porro videns? Ita prouidere futura solitus erat Sæuerus Imp. vt in vita illius Dion. Cassius refert: mortem siquidem, i. omnium malorum grauissimum, semper vt instantem quouis loco metuebat; quam vt perpetuo ob oculos haberet, loculum suum quotidie sibi mane ante lectum collocari iussit, quem contemplatus & complexus aiebat: *Tu virum capies, quem totus capere orbu non potest,* atque hac ratione sese ad mortem quotidie disponebat, ne, dū repente aduenisset, nimium quantum concuteretur.

Huc etiam respexit sancta illa Ægyptiorum veterum consuetudo, qui in solemnibus publicisque epulis, mortui cranium inferebant, omniumque conspectui exponebant, vt ita feralem illam Parcam, dum vere metuenda foret, non metuerent. Quæ enim prouisa & præcepta non sunt, dum adueniunt, percellere nos solent, & ad terram penitus deicere, eo quod incautos opprimant: verum quando longo ante tempore prospeximus, nulla nobis inopina nouaquerum facies accidit, neque eorum aduentu, vel minimum consternamur.

Herodot. lib. 3.

*Plus. lib. de* Refert ex Homero Plutarch. Vlyſſe poſt  
*animi trā-* viginti annorum peregrinationem domum  
*quill.* reuerſo, cane, qui longo illum prius tempo-  
re nouerat, conſpecto hero, præ gaudio  
expiſaſſe, vnde & ipſe lachrymari cœperit.  
Hinc vero Penelopem vbertim etiam lacry-  
mas fudiſſe tradit, ſed gaudij lacrymas &  
exultationis: quam licet ille aſſiduo ſolare-  
tur, & lacrymantis ab oculis lacrymas exter-  
geret; non minus tamen emotus fuit, quam  
ſi dura ſilex foret, aut Marpeſia cautes; cum  
tamen catellæ caſus & interitus ipſi lacry-  
mas expreſſerit. Cuius rei rationem Philo-  
ſophus non aliam eſſe ait, quam quod vxor-  
is ſuæ lacrymas, ſubita in re fundi à mulieri-  
bus ſolitas præuidiſſet, non autem catellæ  
expirationem, ad quam inopinatam con-  
ſternatus illacrymari etiam cœpit, & vber-  
tim flere.

Hæc occasione perfecutionum afflictio-  
numque, quas Apoſtoliſ ſuis prædixit in  
Euangel. Dominus, dicta ſunt, quo eaſdem,  
dum tolerandæ obueniunt, maiori animi  
eonia & robore perferret. Periti igitur  
nauleri eſt, pericula maris prædicere, Syrtis  
& charybdim prænuntiare; boni etiam ducis,  
pericula belli prædocere: *Hæc locusus ſum*  
*Ican. 16.* *vobis, ut non ſcandalizemini, ab ſynagoga ſa-*  
*Ioan. 15. 16.* *cient vos.* Verum alius textus repetendus,  
& Ioan. ſeries tuenda: *Cum venerit paracle-*  
*tus, quem ego mittam vobis à Patre.* Omnia  
hæc expoſiturus, in duo more iam mihi cõ-  
ſueto, membra concionem diuidam; primo  
teſtimonia quæ Spiritus S. & Apoſtoli de  
Chriſto dedere proſequar; In altero, perfe-  
cutiones quas in hac Euangelij denuntiatio-  
ne exantlarint, recenſebo, quibus pro poſſe  
enarratis, ſinem imponam.

*Euangelij* In vltima illa, quam coram Apoſtoliſ in  
*materia.* die vltimæ cœnæ, Dominus habuit, admo-  
nitione & paræneſi, e qua omnia Dominica-  
rum poſt Paſcha Euangelia deprompta ſunt,  
qua & illos conſolabarur, & animũ in aduer-  
ſis quæ paſſuri eſſent addebat; inter cætera ad  
diuinitatem ſuam ſpectantia ait: Spiritum  
paracletum, quem à Patre immitteret; ampliſ-  
ſimum de diuinitate ſua teſtimonium  
daturum, teſtificaturum inquam, verum ſe-  
ſe Deum eſſe, non vero creaturam.

*Cum venerit Paracletus, quem ego vobis mit-*  
*tam à Patre.* Hic obſecro, Theologi noſcent, *II.*  
vt Chriſtus verbis illis hæreticos, qui poſt *II.*  
illius in cœlos aſcenſum in orbem venturi *Hærefes*  
erant, refutarit, eorumque argumenta & ia- *retres*  
cula inſregerit. Dum enim ait: *Quem ego mit-* *hoc loco*  
*tam à Patre,* eorum errorem iugulauit, aper- *refellat-*  
te docens Spiritum non à Patre ſolum, ſed & *tur.*  
à ſe, id eſt, Filio procedere. Dum: *Mittam à*  
*Patre,* euidentiffime demonſtrat, Filium Pa- *II.*  
tri conſubſtantialem eſſe, cum Pater & Fi- *refellat-*  
lius vnum eundemque Spiritum producât, *tur.*  
atque ita Arrianorum errores refellit. Dum: *II.*  
*Qui à Patre procedit,* apertiffime declarauit, *refellat-*  
Spiritum Deum eſſe non vero creaturam, *tur.*  
vt inſano commento idem Arrius adſtrue- *II.*  
re auſus eſt: quidquid enim a Deo procedit, *refellat-*  
Deus quoque ſit oportet, creaturæ nam- *tur.*  
que e Deo ſubſtantia non prodeunt, ſed e ni- *II.*  
hilo producuntur (vilem profecto produ- *refellat-*  
ctionem!) Denique dum ait: *Ego mittam à* *tur.*  
*Patre,* oſtendit, aliam ſe à Patre perſonam eſ- *II.*  
ſe, non vero vnã eandemque ſed diſtin- *refellat-*  
ctam; atque ita nequiſſimi Sabellij errores *tur.*  
deſtruit & euertit.

*Cum venerit Paracletus, quem ego mittam* *II.*  
*vobis à Patre.* A Patre ſe illum ait emiſſu- *refellat-*  
rum: & bene, nam vt Filius eſſe ſuum à Patre *tur.*  
habet, ita & Spiritus ſancti miſſionem ab eo *II.*  
dem nactus eſt, vt & à Patre poteſtatem il- *refellat-*  
lius producendi. Pater enim æternus, vt ori- *tur.*  
go & fons omnis diuinitatis, à ſeipſo Spiri- *II.*  
tus S. & productionem & miſſionem habet, *refellat-*  
at ambo hæc Filius nonniſi à Patre: atque *tur.*  
idcirco ait: *Mittam vobis à Patre.* Ita loqui- *II.*  
tur & Hilarius in libris, quos de SS. Trinitate *refellat-*  
compoſuit: cum ipſo igitur aſſero, quem- *tur.*  
admodum *creat à Patre:* eo quod ſimul cum *II.*  
Patre creet, vt pote creandi virtutem & po- *refellat-*  
tentiam à Patre nactus, (*quia qui dat eſſe, dat* *tur.*  
*& qua conſequentur ad eſſe,*) quod & ipſe Do- *II.*  
minus in Euangelio aſſerit: *Non poteſt Filium* *refellat-*  
*à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem* *tur.*  
*facientem*) ita etiam ab eodem & virtutem *II.*  
potentiamque Spiritus S. producendi, & *refellat-*  
hunc in mundum mittendi nactum eſſe & *tur.*  
habere.

Porro hæc loquendi ratio in Sacris litte-  
ris obuia eſt & frequens: dictum quippe in  
Gen.

Gen. est: *Pluit Dominus à Domino sulphur & ignem super Sodomam.* Filius scilicet à Patre. Vna enim & eadem vtriusque est actio: eam tamen Filius à Patre habet: nam omnia opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa. Ita porro huc locum Genes. Hilar. lib. de Synodis exposuit, & Concilium sub Iulio I. Pontifice maximo collectum. Sed relicta sublimi hac Theologia, ad moralem sensum delabamur, cum *uenerit Paracletus.* Quanta horum verborum dulcedo! quam ipsa ad audiendum iucunda & suauia: cum *uenerit Spiritus.* Ecquis, obsecro, Spiritus? non spiritus malitiæ, non peccati, non presumptionis, non iræ, sed Spiritus Paracletus, consolationis: scientiarum doctor quique nos homines veritatem edocet. *Cum autem uenerit ille Spiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatem.*

Atque hoc innuit Apostolus, cum diceret: *Alij datur per Spiritum sermo sapientia, alij sermo scientia.* Spiritus qui spiritibus motum, & animabus vitam donat. Vnde Propheta: *Intrauit in uos spiritum meum.* *Et uiuatis.* Designatum hoc fuit in aridis illis ossibus, quæ Deus Propheta monstrauit, quæ neros nacta nouos & musculos & cartilagine & pelle denuo cooperta, mouere se, at uiuere non potuerunt, donec Spiritus à quatuor uentis, id est, quatuor orbis partibus, eadem perfileret.

Cælorum orbis, ut quidem Aristoteles & constans omnium mecum Philosophorum opinio tradit, spiritum quandam & intelligentiam æream, in tutorem & directorem habent: atque omnes axes, spheræ, sidera, Planeta à virtutibus quibusdam & potentijs intelligibilibus impelluntur: à seipsis enim nihil possunt, sed grauias sunt & omnis motus expertia, sine ulla uirtute, motu aut influxu. Idem & de iustis sentiendum, qui à Spiritu S. mouentur & diriguntur, sine ipso enim omnis sensus erga res diuinas expertes forent, nec ad uirtutem proueniunt, inque bonis operibus torpidi. Ipse enim est, in quo uiuimus, mouemur & sumus. *Quam dulcia igitur faucibus meis uerba hæc, cum uenerit Paracletus.*

Quis aut qualis ille Paracletus? quidnam efficiet? quidnam potest? potest omnia, mi-

rabilia efficiet: Deus enim est, ut Pater & Filius, plurimæque munia & functiones habet; munia. ipse peritissimus ductor & director est: nam ut uentus naues ad portum propellit; ita & Spiritus ille animas ad portum cælestem dirigit ac promouet; unde *Psalmista: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Ipse Angelorum hominumque doctor, ipse Apostolos omnigena dotauit scientia, & linguarum dono cumulauit, ita ut *coeperint loqui uarijs linguis.* Oculis hyaræ, ut quidem Diofcorides ait, gemma educitur, quæ futura prædicat, & obscura reuelat, cum dormientis capiti subiicitur. Ita & Spiritus Paracletus à Patre simul & Filio procedens, cordi Apostolorum iniectus, disertos eos reddidit, ut futura annuntient, secreta & abscondita reuelent, & omnium linguas nationum loquantur.

Idem Spiritus afflictorum, ærumnisque oppressorum tutor & patronus est: restatur id Apostolus dicens: *Spiritus adiuuat infirmi.* *Rom. 8. tatem nostram.* Idem hominum Angelorumque mediator: quo eum Ezechiel nomine nuncupat: *Ponam spiritum meum in medio uestri.* Ipse pusillanimum Achilles, debiliu robur ac fulcrum infirmorum: unde *Psalmographus: Et spiritu principali confirma me.* Ipse *Psalm. 50. fidelium merces & laborantium præmia, ita Ioannes in Apocalypsi, modo iam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis.* Ipse denique animarum consolator & gaudium; restabitur hodiernum Euangelium, *cum uenerit Paracletus.*

Quotnam obsecro Spiritus hic cælestis Spiritus S. nominibus appellatur, quot titulos & epitheta sortitur. Primo appellatur *Sanctus*, uel sacris litæ quod nos efficiat sanctos, uel quod sit ipsa sanctis nominis. Secundo, *Spiritus rectus*: hoc cum nomina fortissime *Psalmista* donauit, *Et spiritum rectum tuum inuoca in uisceribus meis.* Tertio, *Spiritus bonus.* Ipse enim gratiâ in hac uita elargitur, & gloriam sempiternam in altera; quæ uera bona sunt, utpote quæ perdi nequeunt, & semper hominem comitantur: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Quarto, *Spiritus principalis.* Ipse namque origo, fons & principium omnium uirtutum, & omnium gratiarum in anima nostra causa: *Spiritus* *Psalm. 50. prin-*

*principali confirma me.* Quinto, Spiritus Domini. Nam qui spiritum hunc habet, vere Domini sunt: corpori, mundo, & diabolo imperantes, qui vero eodem carent, non nisi serui & mera mancipia, omnibusque rebus creatis subiecti: Spiritus Domini super me. Paracletus denique in Evangelio hodierno dicitur:

Isai. 61.

Ioan. 15.

16.

Spiritus

Sancti testi-

monium

necessarium

erat ad fir-

mandam

diuinitatem

Christi.

Act. 10.

*Cum venerit Paracletus.* Cum autem iam iam venerit quid facturus est? *Ille testimonium perhibebit de me.* id est de diuinitate mea.

Et sane eiusmodi testimonio opus erat, quo euident & manifesta Christi redderetur diuinitas; opus, inquam, erat, vt crederent homines, hominem Deum fuisse morti adiudicatum innoxium, passum, immortalem: crucifixum, redemptorem: & quare odiandam, mundum conuertendum, Imperatores confutandos, Monarchias deprimendas, respublicas expugnandas, & idiotas pifcatores Philosophorum doctores constituendos: adhuc scri. omnia Spiritus S. testimonium necessarium erat. Varia quidem olim de Christo Prophetarum testimonia dederant: *Hinc testimonium perhibent omnes Prophetæ,* mille in natiuitate, omnes perhibuerant creaturæ, stellæ, reges, Angeli, bruta quin etiam animalia, deinde & Simon, Anna vidua, Ioannes Baptista. tot adeo Trinitatis testimonia quoque; videre fuit illius in baptismo, testimonia in transfiguratione, testimonia in passione, dum ipsa etiam tellus concussa tremuit, sol deliquit passus est, mortui ad vitam surrexerunt, & petra scissæ sunt. Et quamuis adeo prægnantia efficacique hæc fuerint, credere tamen homines non potuerunt, Iesum Christum Deum fuisse, quamobrem necesse erat Spiritum ipsum cælo descendere, & de diuinitate testimonium ferre.

Ioan. 15.

16.

Isai. 53.

Psal. 02.

Spiritus

S. ter de

*Ille testimonium perhibebit de me.* Et fuit profecto difficile persuadere hominibus Deum humanam naturam assumisse, se exinanuisse, pauperem nostri causa factum, & in cruce suffixum expirasse. Huc pertinere humanum ingenium non poterat, nec intellectus hoc comprehendere, imo & Prophetarum omnes hæc fieri non posse credebant: vnde de rei grauitate & hominum incredulitate

conquestus Isaias exclamat: *Quis credidit au-* Chaillo  
*ditur nostro?* Idcirco Spiritum S. descendere testatus  
necesse fuit, qui amplissimum horum omnium est.  
testimonium redderet: quo ita mundi in-  
credulitatem conuinceret, ad credendum  
induceret, & clamare alta voce cogeret, *Te-* Math. 3.  
*stimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Math. 17.  
1. Iam 1.

Tertia porro Spiritus S. de Christo Iesu  
testimonium perhibuit. Primo, cum à Io-  
anne baptizaretur, quando nimirum, quo Spiritus S.  
diuinitatem illius adstrueret, visibiliter in descendit  
ipsum columbæ specie delapsus est. Secun-  
do, in glorioso transfigurationis trium-  
pho, quando in nube lucida rutilantique  
apparuit. Tertio, in ipso Pentecostes die, testimo-  
cum in forma ignis & flammantium lin-  
guarum super Apostolos descendit, sic in-  
fracta & heroica constantia per omnes ter-  
rarum angulos edoceret, Iesum Christum  
mundi Redemptorem ac liberatorem esse.  
Vnde Ioannes in Epistolis: *Spiritus est, qui*  
*testificatur, quoniam Christus est veritas.*  
Cuius testimonio accedens in Evangelio  
Dominus ait: *Ille testimonium perhibebit de*  
*me.*

Non potuit profecto maius nec apertius  
diuinitatis testimonium dari, quam tan-  
tum ac talem, ad testandum ipsum Deum,  
Spiritum emitti. Iacob Patriarcha, audito,  
filium Ioseph superesse & adhuc vesceri au-  
ra ætherea, dominarique in tota terra Æ-  
gypti, velut à somno expergefactus & con-  
sternatus est, non secus ac si fabulas narrari  
audisset, nec fidem filiorum verbis adhi-  
bere poterat: sed visis curribus, commeatu  
& omni suppellectile pretiosa, quam ex  
Ægypto asportauerant, omni dubitationi  
postposita, rem ita se habere sibi persua-  
sit. Vnde colligitur, è pretiosis illis quæ Ioseph  
miserat donis Iacob confirmatum  
credidisse, filium in Ægypto dominari, ac  
plurimis regnis cum absoluta potestate  
præesse. Idem omnino hodie in Evangelio  
fieri videmus: ait enim quodammodo Chri-  
stus, Verulus ille & decrepitu mundus  
credere vix potest, Deum me esse: quam-  
uis Prophetarum, filij, inquam, eius tam eu-  
denter id designarint: at mox vt pretiosum  
illum Spiritum gratis locupletem misero,  
aperte

aperte videbunt Deum me esse, ille scilicet de me testimonium feret, ex eoque mundus cognoscat, non ingressisse me vitro, aut falso dignitatem hanc & diuinos mihi honores arrogasse.

Elias Propheta, designaturus verum a se Deum coli, sacrificium eidem offerre voluit, & strue lignorum congesta, & victima mactata, genibus in terram positus orauit dicens, *Domine Deus Abraham, & Isaac, & Iacob, ostende hodie, quia tu es Deus Israel, & ego seruum tuum.* Vix finierat verba Prophetes, & ecce ignis cælo delapsus victimam corripuit, & in cinerem redegit. quo viso clamare alta voce populus cepit, *Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus.* Per ignem scilicet cælo descendentem, intellexerunt eum, à quo emissus fuerat, vere Deum existere: Ita Christus, missio in Apostolos sub forma ignis Spiritu S. ipso Pentecostes die euidentissime ostendit, Deum se esse merito igitur in Euangelio de Spiritu ait: *Ille testimonium perhibebit de me.*

Erat inquam clarissimum diuinitatis argumentum, Spiritum sub flammæ specie in Apostolos emittere; cuius rei figura fuit ignis, quo reliquias Agni Paschalis cremari voluit olim Deus, *si quid residuum fuerit igne comburet.* quo mysterio nihil aliud declaratur, quam Christi Iesu, agni illius immaculati, reliquias, id est, Apostolos, quos post se in mundo relicturus erat, sacro Spiritu sancti igne accendendos & cremandos, quod & in Psalmis longo ante tempore prædixerat Psalmographus. *Ignis à facie eius exarsit, carbones succensis sunt ab eo.* facies autem hoc loco patris ipse Filius est: ignis autem qui exarsit, ipse Spiritus: carbones vero Apostoli.

Inter vasa figlina cocta & non cocta, sed tantum efformata, hoc statui discrimen potest, quod iis quæ nondum caminum subiere, festuca & sordes facillime adhærescant, & minima collisione frangantur; cocta vero nullis sordibus inficiantur, nec collisa tam facile dissoluantur. Eadem quoque inter Apostolos & cæteros mundanos inueniri differentia potest: illis enim, non secus ac vasis coctis & Spiritus sancti igne indura-

tis, nullus vanitatis puluis, nulla voluptatum sordes adhærescunt, nec vlla rerum mundanarum collisione nocet: at hi velut incocta & liquida, & nondum camini ardorem experta, ad primum aduersitatum imperum colliduntur & franguntur. Hic igitur ignis Apostolos excoxit, & aduersus omnem tribulationum afflictionumque impetum solidauit. Quod figura quadam veteri demonstrabo.

Mostrauit olim Ezechielii Propheta Deus campum ossibus refertissimum, & ait, *Vaticinare de Ossibus istis, & dices eis, Ossa arida audite verbum Domini. Hac dicit Dominus Deus ossibus hu, Ecce ego intromittam in vos spiritum, & uuetis: & dabo super vos nervos, & succrescere faciam super vos carnes.* Et ecce dictum factum, ossa sterere in pedes nouo redanimata spiritu & fremuere ad inuicem collisa, prout Ezechielii prænuentiauerat Deus. Vos vero mysterii huius expositionem discite: Mundum campus ille patens denotat, ossa vero Apostolos, tâquam arida, sicca, & ab omni humore sæculari succoque mundano aliena: quæ postquam Spiritu S. subintrante, reuixere, nervosa solidaque facta sunt, id est, virtutem & robur tribulationibus resistendi & aduersa quæque superandi nacta sunt. Spiritus igitur S. discipulos hac ratione confortans & solidans, clarissimum diuinitatis Christi Iesu eiusque maiestatis testimonium dedit. At hoc testimonium satis non erat, requirebatur adhæc, ipsi vt quoque Apostoli hoc testatû facerent, *Et vos testimonium perhibebitis.*

Quod & reipsa præstitere, dum per omnia mundi climata discurrentes, Euangelium gentibus annuntiarunt: S. Petrus scilicet omnium caput, in Ponto, Bithynia, Galatia denique & Romæ: Ioannes per vniuersam Asiam, S. Paulus Antiochiæ, Cappadocia, Cypro, & c. Iacobus Maior in Hispania, Minor in Palaestina, Thomas in India & apud Antipodes, Philippus in Syria, & Scythia, Bartholomæus in Armenia & Lycaonia, Matthæus in Æthiopia, Simon in Mesopotamia, Thaddæus in Perfide, Andreas in Achaia, aliisque sexcentis locis. Per omnes igitur mundi angulos testimonium

Apostoli diuinitatis Iesu Christi testimonium dedere.

Christo testatus est. *Matth. 3. Matth. 7. Act. 1. 1. Iean. 3. & 16. Spiritus, delectatus euident diuinitatis Christi testimonium.*

18.

17.

17.

17.

Ezech. 37.

eorum auditum fuit & creditum. *In omnem terram exiit sonus eorum.*

*Pfal. 18.*  
Mirabile testimonium Apostolorum de Iesu Christi diuinitate.

Quamliquida probatio, & quam clarum diuinitatis & potentia Iesu Christi testimonium fuit, duodecim piscatores, rudes & rerum ignaros, vniuerso orbi arma mouere, formicas elephantis insultare, pygmaeos aduersus gigantes & aduersus colubas gryphes insurgere, & armis adeo imparibus arma siquidem mundi sunt prudentia, sagacitas, eloquentia, potentia, minae, vana promissa, suppliciorum terror, voluptatum, honorum, diuitiarum, & aliarum rerum illicia: Apostolorum vero paupertas, simplicitas, humilitas, patientia, & caritas: & aliae plurimae virtutes. Explicat vtrumque Apostolus in prima ad

*1. Cor. 4.*

*Cor. Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramur.* Deinde & conflictu iniquo: mundus siquidem suos vento voluptatum vult abripi, & ventri & genio indulgere: Apostoli vero idola deferri, Christum in cruce adorari, spiritum in obsequium fidei subiici, cruce & afflictiones a quo animo tolerari, propria voluntatem abnegari debere docent: atque haec vera vitae, doctrinae, & diuinitatis Iesu Christi testimonia sunt, quod Propheta inuinit dicens, *Vere vos estis testes mei, dicit Dominus.*

*Isai. 41.*

An non euidentis veritatis testimonium fuit ignaros piscatores, inermes, doctos, omnium Imp. arma & potentiam fregisse? Deus, quo potentiam suam exaltaret, olim Iobo Prophetae sub aenigmatis inuolucro cit, *Nunquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti, qua preparavi in diem pugnae?* quod exponens Gregorius, & nucleum allegoriae explicans, ait: arma haec & milites sanctos Apostolos existisse, qui ante Spiritus sancti in mundum aduentum niue frigidiores erant: quibus tamen Deus in die pugnae, quando vniuersum mundum subiugauit, & sub potestate suam redegit, uti voluit. Atque hac ratione amplissimum de Christo Iesu testimonium dedere, miraculis inquam, verbis ac vitae sanctitate haec siquidem testimonia intellexit

*Ioan. 15.*

*CHRISTVS cum ait, Et vos testimonium perhibebitis.*

Vos, inquam, quibus omnia mea secreta patent, qui singula miracula mea vidistis, qui toties doctrinam meam audiistis, qui vitae quam duxi orationem perspectissimam habetis: de iisdem loqui potestis, & velut testes oculati testimonium reddere poteritis. Quod Petrum re ipsa praestitisse ex Actis Apostolorum manifestum est: *Hunc Deus suscitauit tertia die & dedit eum manifestum fieri omni populo, sed t. s. s. praordinatis a Deo nobis qui manducauimus & bibimus cum illo postquam resurrexit a mortuis.*

Tria ad testimonio auctoritatem conciliandam necessaria sunt, ne ut vstrum aut teste verum imminutum reiciatur. Primo ut testis de re qua testatur, certus sit nec opinetur tantum solum dubitans & vacillans, sed certa quadam scientia eam perspectam habeat. Secundo, ut constanter veritatem profiteatur. Tertio, ut omni exceptione maior sit, omni culpa vacans, nec vlla in re reprehendendus. Tria haec quam perfecte in Apostolis reperire fuerit, dici non potest: primo enim testabantur ea, quae oculis vidissent: Audite ut hoc Ioannes de se suisque condiscipulis in epistola testetur, *Quod vidimus, quod audimus, & manus nostra contrectauerunt de verbo vita & Petrus in sua, Non incertas fabulas secuti, sed speculatores facti illius magnitudinis.* ac deinde omnes in genere Apostoli: *Non possumus qua vidimus & audimus non loqui, &c.* Deinde infra & constanter admodum, sine vilo mortis metu, nullis suppliciiis exterriti, veritatem elocuti sunt, denique adeo sancte pieque vitam instituerunt, nulla ut in re digni vel minima reprehensione forent. Idcirco praecceptor probitatem eorum & sufficientiam perspectam habens, & testimonio ferendo idoneus sciens, ait, *Et vos testimonium perhibebitis.*

Non solus autem Apostolos hic allocutus est, sed & omnes in genere religiosos, quibus ex vi voti, de Iesu Christi paupertate, humilitate, & obedientia testimonium ferre incumbit, ut qui ab initio cum ipso fuerunt, id est, a totiam annis cum ipso conuersati sunt, illiusque se obsequio manciparunt. Quadrant haec etiam in concionatores, veros Iesu Christi illiusque; Euangelii praecones, hominum



rum namque est, de cruce illius & amore, passioneque luculentissimum testimonium terre, honestam nimirum vitam instituen- do, humilitatem sectando, & mundum contemnendo. Væ autem iis qui secus egisse cõ- perti fuerint, infame siquidem est & deplora- randum, sibi perniciem creare alios nihilo- minus ad gloriam euocare.

Mat. 19.

Gaditæ & Rubenitæ quamvis aliis tribu- bus auxilia & suppetias tulissent, & arma in terra promissionis comparanda submini- strassent, tamē in eadem commorari nolue- runt, aut stabilem fortunarū suarum sedem sibi figere, sed alias ad habitadum sedes haud procul à Iordane delegerunt, quod locus ille & pascuus & campetris esset pascendis gre- gibus peraccommodus. Infelices igitur illi, qui cælo neglecte, rebusque cœlestibus pro- culcatis, caducis vitæ huius bonis contenti viuunt: quo brutali suo appetitui & concu- piscentiæ carnali melius commodiusque fa- rificiant atque ita gloria cœlesti quæ tum Deo tum Angelis communis est, excident.

Mat. 23.

Mundus caliginosus est

Vos igitur concionatores Isaia consulen- ti credite, illius vocem audite, *Super montem caliginosum leuate signum, exaltate vocem, le- uate manum.* Cæterum mons ille obscurus & caliginosus ipse mundus est, erroribus plenus, ignorantia tenebris obitus: in quo Prædicatores signum, id est crucem, quæ ab omnibus omnino hominibus contemnitur, leuare iubentur, pœnitentiam sc. denuntia- re, afflictiones, labores, & cruciatus in signū proponere. In quo etiam eos vocem exalta- re Deus præcipit, aduersus peccata & vitia cum spiritus ardore & zelo detonare: manus quoque atollere, manum scilicet operi ad- mouendo, vt nimirum opere compleant, quod verbis docuerit. Hoc nempe pacto vi- tam instituere, est bonum de Christo Iesu testimonium ferre; & hoc ipsum erat, quod prima cõcionis parte deducere decreueram: secundam iam aggrediar, in qua hæc verba: *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini,* explicanda suscepi.

III. Christus Apostolis suis tribu-

Christus igitur, postquam Apostolos post mortē suam testimonium perhibituros di- xisset, aduersitates que & persecuciones va-

Tom. I. Pars Hyemalis.

rias ob testimonium hoc subeundas præmo. lationes nuiisset: solari quoque eos & dolorem è ver- pradicat. bis prioribus conceptum lenire voluit, simul edocens æquam rebus in aduersis & lætis mentem seruare. Filii Israel cum grauitate an- Iud. 3. gerentur, & hostili iugo premerentur, opem cœlestem implorarunt. & ad Deum confu- gerunt, qui sospitorem iis misit Aod nō- mine, ambidextrum, & sinistra tam prom- pre vtentem quam dextra, vt ducis huius do- tes homini iusto accommodem, dico inter illius perfectiones primā esse, aduersa simul & prospera æqua mente perferre, & in vtrius- que æque fortem esse.

Cassianus autem allegoriam hanc expo- nens, ait per manum dextram prosperitatem spiritualement designari, cuius digiti sunt de- uotio; rerum spiritualium dulcedo, cordis teneritas, dominium in concupiscentiam carnis, atque omnium visibilium rerum cõ- temptus: per sinistram vero aduersitatem spiritualement cuius digiti sunt tentatio per tri- bulationes, deuotionis carentia, exiguus erga res spirituales affectus, cordis ariditas, & spiritus tristitia. Beata igitur anima illa quæ duabus hisce manibus prudenter vti- tur: plurimi namque dextra abutuntur, dum in prosperis insolescunt, & sublimia de se cogitant: alii vero sinistra, dum aduersis deiciuntur.

Aduersitas & prospe- ritas duæ mundi ma- nus sunt.

Equidem per dextram illam, prosperita- tem temporalem designari crediderim, cuius digiti sunt honor, sanitas, pulchritudo, diuitiæ, nobilitas: per sinistram autem, ad- uersitatem temporalem, cui hos assigno di- gitos, infamiam, egestatem, morbos, igno- bilitatem & persecuciones. Hæc nimirum vtraque mundi manus est, at adeo lectu dif- ficilis, vt vnā sine altera nec ipsa Sale mon- postulare voluerit, dicens, *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi.* Solus Aposto- lus scire vtraque vti nouit, ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse. Scio & humili- ri, scio & abundare ( ubique in omnibus insti- tutus sum ) & satiari & esurire, & abundare, & penuriam pati, omnia possum in eo, qui me cõ- fortat. Apparet hinc ad oculum, quam Pau- Simile. lus ambidexter fuerit: quem vtrinam omnes imitentur Deus autem cum vtraque suos fe- riat,

Prou. 30.

Philip. 4.

riat, æquabilitatem mentis in percussis optat.

**Ecl. 12.**

Solent fabri ferrarii haud procul à fornace habere frigidam: sine igne namque ferrum aptate non possent, nec sine aqua temperare; fabros imitari etiam consuevit Deus: modo enim prosperitates hominibus elargitur, quibus velut aqua eos aspergat, modo aduersitatem igne excoquit. vnde Ecclesiasticus: *In igne probatur aurum: homines receptibilis in camino humiliationis.* quo loco alia versio legit: *Homines vero acceptabiles, suppleto, sunt.* Ideo sancti clamare coram Deo dicuntur: *Transiimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Hæc igitur dicta sunt occasione verborum: *Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.*

**Psal. 65.**  
**Ioan. 16.**

Id est, dum aduersitates in caput vestrum ingruent, quas vobis modo prædico, nolite offendi, aut nimium quantum deici, neque enim vos deseram, sed Spiritum paraclerum vobis mittam, qui in aduersis vos consolaturus, & auxilium laturus est. Admirabilem templi Salomonici fabricam & situm dum Ezechiel descripsisset, ad finem subnectit, dicens: *Ab hoc templo aqua egrediuntur, usque ad mare, profuunt, & aquas ipsius maris dulces efficiunt: pisces vero quos producebant, quam plurimi & pulcherrimi erant.* Sublime profecto mysterium: quo aliud non declaratur, quam tribulationes & ærumnas, quibus iusti in hoc mundo affliguntur, et si ingens lateque stagnans mare efficere videntur, mox ut suauissimis diuinarum consolationum, quæ à templo illo admirabili, i. Christo Iesu, promanant, aquis conspersæ fuerint & tinctæ, dulces & iucundas reddi, ac plurimos in iisdem piscibus progigni, id est, plurimorum meritorum causas existere. Atque hoc est, quod Dominus Apostolos suos edocere voluit, dum ait: *Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.*

**Ezech. 47.**  
**Allegoria**  
**egregia.**

**Ioan. 16.**

Quamprimum ut eos testimonium daturus dixit, tribulationes mox & afflictiones, quæ hæc in functione eos manerent, subiunxit: ad quarum auditum ne forsitan animum desponderent, consolatur eos & dolorem pellere conatur. Nam ut terra her-

**Simile.**

bis, quas ex seipsa producit vires suppeditat, ut sine vilo hominum adminiculo & cretâ, germinent, & floreat: iis vero quas humana plantavit industria, aut hortulani manus, nihil præter succum & humorem clarigitur, ita ut nisi manus plantatoris succurrat & adminiculetur, peritura sint: sic etiam mundus hic cum mundanis, filiis inquam & germinibus suis, agit, hos enim fouet, honoribus & voluptatibus beat, amplectitur, stringit: iustos autem & electos, filios Dei charissimos contemnit, vilipendit & negligit, imo tantum abest, eos ut exosculetur, ut etiam quam potest acerbissime illos affligat & excruciet. Huc respexisse crediderim Christum, cum Apostolis diceret: *Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Hinc quoque Psaltes coram Domino confitetur dicens: *Tibi derelictus est pauper, iustus scilicet, qui paupertatem voluntariam amplexus est, atque instar pupilli & orphanus ab omni se mundano gaudio sequestrauit, ob quod varias tribulationes experitur: verum huic orphano tu eris adiutor, arque aderis, ne in aduersitatibus succumbat.* ex mente scilicet Euangelii in quo legimus: *Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.*

Labores & tribulationes discipulis in Euangelii prædicatione euenturas prænuntiat eademque ratione docet, iustos & pios scandalizari non debere, aut velut rem nouam suspicere, si afflictionibus & ærumnis interdum exagitentur & exerceantur, interea dum hic viuunt: multas quidem ob causas suis easdem Deus immittere consuevit, quarum tres præcipuas referam. Primo, quod ingentem semper utilitatem & commodum secum trahant: quod è prosperitatibus, quæ illarum contrarium sunt, facile intelligi potest, nam, ut olim Aristoteles multis in locis docuit. *Contrariarum causarum contrarij sunt effectus*, adeo ut si vnum malum progignat: alterum bonum proferre debeat. Mundi autem prosperitas Dei semper obliuionem inducit: vnde Propheta, *Homo cū in honore esset, non intellexit, & nobilis.*

IV.  
Ratione  
variarum  
iustis  
tribulationes  
immitit  
Deus.  
Lib. de  
naturat.  
phys.  
Psal. 48.

bilis conditionis suæ oblitus est. Seneca item in eundem sensum, fortuna quem nimis fouet, stultum facit, atque ex hac obliuio, ne superbia quædam & fastus intolerabilis procedit, si Psalmographo dicenti, In labare hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos superbia, fides habeatur. Omnes siquidem prosperis insolescentes, animæ suæ damnum incurrunt, & in voluptatum campo deliciarumque periculum adeunt, teste Poeta,

*Luxuriant animi rebus plerumq; secundis.*

*Nec facile est aqua commoda mente pati.*

Cum igitur prosperitas, malacia, ac mundi huius tranquillitas horum omnium causa sit; credendum est e contra, aduersitatum & tribulationum procellam, quæ illius oppositum est, bonorum omnium causam esse, atque homini miseriam suam in mentem reuocare, & infinitam Dei misericordiam animo illius insculpere. Hinc bene Magnus Boethius: Plus hominibus reor aduersam quam prosperam prodesse fortunam; & post eum magnus Gregor. Nisi tribulationes essent, homines obliuiscerentur Dei, tribulationes quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt. Cuius rei egregiam in Genesi figuram legimus.

Agar Saræ ancilla, quod superba & elata esset, atque heram potius ageret, domo Abrahæ exacta fuit, & in desertum ac solitudinem pulsa: ubi Angelus eam compellauit dicens: Reuertere ad dominam suam, & humiliare sub manu illius. Quam figuram exponens August. ait: ideo potissimum ancillam hanc afflictionibus & ærumnis vexatam fuisse, ut hac ratione ad dominam reuerteretur. Ad hoc, inquit, ancilla affligitur, ut reuertatur. Cui etiam Psalmista accedens longe ante ait: Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui, ut auxiliaretur & suppetias ferret.

Secundo, idcirco Deus tribulationibus iustos exagitari cruciatique interdum permittit, quod ipsæ ad salutem beatitudinem que sempiternam obtinendam imprimis necessariæ sint. Testatur id Christus ipse, cum non aliud sibi ad gloriam adeundam, nisi per scruposam tribulationum semitam

paruisse iter confirmat: Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Si ipsum Dominum necesse fuerit pati, quo gloriam adiret, an non multo magis nos, qui non nisi peccatores sumus, & omni flagitiorum genere cooperti, tribulationum iter calcare, & laborum semitam ingredi par est: Atque ita argumentatur Bernardus, dum quodam in loco ait: Si oportuit Christum pati, & ita intrare in regnum suum quomodo nos miseri intrabimus in regnum non nostrum, nisi prius patiamur? Vnde etiam exclamat Apostolus Petrus, (clamantem obsecro audite): *hæc istus, inquit, pro nobis passus est, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia eius.* Ipsa igitur tribulatio cœli ianua; de qua merito illud Prophetæ usurpare possumus: *Hæc porta Domini, iusti intrabunt per eam.*

Tertiam immisærarum calamitatum afflictionumque statuere causam licet, ut his gustatis certissimum iusti prædestinationis argumentum hinc colligerent, & gloriæ æternæ velut artham acciperent. Testatur ipsum Bernardus, qui in homilia dicere non est veritus: *Qui in hoc mundo flagellari non merebitur, in alio torquetur.* Tribulationi ideo vnicæ salutem suam adscribit Psalter, dum ait: *Castigans, castigauit me Dominus, tribulationum suarum scilicet virga, & morti non tradidit me, id est, salutis hæc mea causa extirpit, & soli huic, quod mortem perennem euaserim, adscribere debeo.* Idem & proficetur Tobias, dum immensas Deo ob tribulationes immisæras gratias agit, vitamque suam illis attribuit: *Benedico te Domine Deus Israel, quia tu castigasti me, & tu saluasti me.*

Ipsa igitur certissima prædestinationis sunt signa, æternæ beatitudinis artha, securissima ad cœlum via; hominibus imprimis viles, iustis honorabiles, & ad animarum salutem maxime necessariæ. Ideo nemo scandalizetur aut offendatur, si quando sibi eas immiti cernat, nemo iis inuitus humeros supponat, nemo dum ingruunt, indignetur; sed omnes libenter eas suscipiant, ambabus manibus amplectantur atque generose illas perferant. Felix igitur, hanc qui crucem in hoc mundo gestat

an. 1.  
al. 9.  
stus  
ano col.  
us.  
an. 10.  
IV.  
atione  
aria cu  
stis  
ationes  
eus.  
in Ioan.  
p. 114.  
Tribula-  
tiones ad  
beatitudi-  
nem ac-  
quiritam  
cducunt.

In serm.

1. Pet. 2.

Psal. 117.

Ibidem.

Tob. 11.

Tribula-  
tionum  
encomiū.

per hanc enim recta ad gloriam cœlestem patet via.

Conclusio.

Quamobrem, Catholici Auditores, cum Christus Dominus gratia nobis sua & infinita misericordia Spiritum paraclitum promittat, cuius iam vires potentiamque à me audistis, quas & melius cognoscetis, si sancto hoc Pentecostes die, ad illius dona & charismata recipienda vos dignos capaceq; reddideritis. Animos, quæso, vestros disponite, & cordis habitaculum ad tantum tamq; eximium ac magnificum hospitē recipiendum præparate: quod ut præstetis digne, permulta vobis sunt necessaria; primo singularis quædam animi mundicies; neq; enim in loco sordido putidoque, aut peccatorum mephitim redolente commorari vult, ut alibi Salomon ait, & in Euangelio Dominus, *Beati mundo corde*. Secundo omnium virtutum ornatus & nitor, tam extrinsecus quam intrinsecus, de quo locutus est Psalmista: *Omnia gloria filia regis ab intus, in simbrijs aureis circumamicta varietatibus*. Tertio tam animi quam cordis humilitas, nam, *qui se humiliat exaltabitur*. Quarto feruens & assidua oratio, vnde Euangelista: *Dabit spiritum bonum potentibus se*, & Sapiens: *Inuocauit, & venit in me spiritus sapientia*.

Præter etiam hæc requiritur singularis quædam animi tranquillitas, & perpetua conscientia quies & pax. scriptum namque legimus: *In pace factus est locus eius*. & hæc est, quam toties Apostolus fidelibus precatur, *Pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum*. Sexto, verus & sincerus amor, quo Deus super omnia diligatur: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit*. Post quæ deinde dicitur: *ad eum veniemus*. Hæc igitur media sunt, quibus recipi haberiq; Spiritus S. potest: vestrum vero est eadem vsurpare, vestrum est in afflictionibus perseuerare, nec

tribulationibus superuenientibus animo deliciat patienter & heroice eadem ferre: interea dum ipse silentium facio, atque operi huic coronam impono.

Tu autem, Domine Iesu, æterne ab æterno & omnipotenti Patre Deus, cuius diuinitatem potentiamque Angeli simul & homines, Prophetæ ac reges, Apostoli quoq; & ipse Spiritus sanctus testati sunt, Spiritus, inquam, quem hodie in terram te missurum spondes, quo de te & veritate testimonium perhibeat; eundem nobis, obsecro, mitte; non quidem ut te Deum esse testetur (neque enim iam dubitamus, sed firmiter credimus Deum te non secus atque hominem esse, quamquam hominum caput & Redemptorem) sed ita eum dimitte, uti olim in Apostolos eum descendere fecisti, ut in lege nos tua erudiat, & in fide confirmet, amorem in nobis tuum succendat, & mundanum penitus extinguat. Mitte inquam illum, ut omnibus nos linguis loqui, atq; in benedictiones, maledictiones, in virtutes, vitia, in bona exempla scandala, in laudem & gloriam iurias & opprobria doceat conuertere. Gloriosum illum Spiritum mitte, ut ita te laudare discamus, in cultu & obsequio nominis illi tui nos roboret, in tolerandis aduersis constantiam suggerat, in medijs tempestatibus constitutos consoletur. Mitte eum, ut in aduersis defensor, in laetis moderator, in ignorantia doctor, in necessitatibus pater, in periculis sit conductor; nos denique nauclerus, quo in mundi huius oceano tam securam instituamus nauigationem, ut æternæ beatitudinis portum intrare valeamus; ad quem Pater æternus, Filius vnigenitus, ac Paraclitus Spiritus nos deducere dignentur,  
Amen.

*Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.*

Psalm. 50.

F I N I S.

Quid ad accipiendum Spiritum S. necessarium sit.

Sap. 7.  
Matth. 5.

Psalm. 44.

Luc. 18.  
Luc. 11.  
Sap. 7.

Psalm. 75.

2. Cor. 13.

Ioan. 14.